

13 *Quod inest meliori & honoratiori, est melius:*

Ut quod inest in animo, quàm quod in corpore est.

14 *Quod prioribus inest, præstantius est, quàm quod posterioribus:*

Ut sanitas quàm robur. Sanitas enim consistit in astaticâ seu æquali proportione humorum, qui dicuntur ideo primæ compositionis: at robur in nervis & ossibus, quæ faciunt ad secundam compositionem, situm est. Sic bonitas prius inest Deo, quàm creaturæ.

15 *Quod propter se expetitur, præstantius est eo, quod expetitur propter aliud:*

Ut pax bello, vita victu, sanitas exercitio corporis.

16 *Bonum obvium, & frequens, & quod ad manum est, melius est eo quod rarò aut ægrè est utile:*

Ut panis est utilior turdis: & aqua, quæ ad manum est, siticuloso melior est vino, quod non habet. Cæterùm hic canon, ut & reliqui, intelligendus est cæteris paribus. Alioqui possunt esse falsi. Nam sæpè accidit, ut quorum rarò fit copia, sint optima.

17 *Quod circa præstantius objectum versatur, præstantius est, quàm quod circa minùs præstans:*

Ut Theologia præstantior est Philosophiâ.

18 *Quod per se bonum est, aut causa boni, aut inest alicui, melius est eo, quod per accidens:*

Ut valetudo optabilior est medicinâ, virtus formâ, justitiâ amicorum quàm hostium.

19 *Quod naturâ bonum est, melius est eo, quod non naturâ bonum est:*

Ut vita quàm mors est melior. Sed hic canon referri potest ad 18.

20 *Cujus conjugatum est melius, id quoque melius censetur:*

Ut justè agere est melius quàm fortiter. Ergò & justitiâ est præstantior fortitudine.

21 *Quod si omnes haberemus, altero non sit opus, præstan-*

præstan-